



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Engolismensi Episcopo.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20020**

rum ingrati, & improvidi futurorum, non solum debitum nobis censum, quem non nisi semel recepimus, subtraxerunt, verum etiam in nostram injuriam & contemptum Ottoni reprobo adherentes, W. de Pusttula exigentibus culpis suis vinculo excommunicationis astrictum & nihilominus super hæreseos crimine infamatum in Rectorem suum post inhibitionem auctoritate apostolica sibi factam præsumperunt recipere ac tenere, iis & aliis modis reddentes nobis offensam pro gratia & injuriam pro honore. Non solum igitur providum & rationale factum Legatorum nostrorum debitam volumus firmitatem habere, verum etiam super terram ipsam aliàs, si diutius in suæ præsumptionis errore perstiterint, aggravabimus promptius manus nostras quod sicut nos senserunt promptos ad gratiam, ita pronos sentient ad vindictam; Apostolum utique imitantes, qui ad ulciscendam omnem inobedientiam promptus erat. Datum Laterani 11. Nonas Iunij, pontificatus nostri anno decimosexto.

## ENGOLISMENSI EPISCOPO.

Epist. 59.  
Ut pauperi  
Diacono benefi-  
cium assignet.

**P**AUPERIBUS Clericis apostolica provisionis subsidium denegare nec possumus nec debemus, qui secundum Apostolum facti sumus sapientibus & insipientibus debitores. Hinc est quod pro dilecto filio magistro G. de sancto Sigismundo Diacono, cui & vitæ meritum & talentum scientiæ suffragari dicuntur, fraternitatem tuam rogamus attentius & monemus, per apostolica tibi scripta mandantes quatenus ob reverentiam apostolicæ sedis & nostram auctoritate nostra eidem, qui à te fuit, prout asserit, in Diaconum ordinatus, vel in Ecclesia Engolismensi provideas, vel in alio ecclesiastico beneficio competenti, preces & mandatum nostrum taliter auditurus quod idem assecutum se gaudeat quod intendit, & nos devotionem tuam possimus non immerito commendare. Tu denique frater Episcope &c. Datum Laterani Idibus Iunij, pontificatus nostri anno decimosexto.

*Scriptum est super hoc Priori Sulbisen-  
si Xantonensis diocesis, & Pœnitentiario & magistro F. Canonico Xantonensibus, ut dictum Episcopum ad id moneant & inducant. Quod si non omnes &c. duo vestrum &c. Datum ut supra.*

DECANO ET CAPITULO  
Eboracensibus.

**F**ELICIS recordationis Iohanne in Colmidin Diacono Cardinale S. R. E. Cancellario de medio Domino vocante sublato, præbendam quam idem in Eboracensi obtinebat Ecclesia dilecto filio Leonardo ipse ac nostro nepoti duximus concedendam, ac de ipsa eundem manu propria curavimus investire, credentes quod per ipsum & suos multa vobis & Ecclesiæ vestræ poterunt commoda provenire. Ideoque universitati vestræ per apostolica scripta mandamus atque præcipimus quatenus dictum Leonardum de cetero vestrum canonicum habeatis, & tu, fili Decane, de ipsa præbenda ejus procurator existas. Quod autem super hoc dilectus filius Pandolphus Subdiaconus noster duxerit disponendum recipiatis humiliter & inviolabiliter observetis. Datum Laterani xv. Kal. Iulij, pontificatus nostri anno decimosexto.

*Ille scriptum est super hoc, ut super hoc ordinare procuraret quod utilitati ejusdem Leonardi viderit expedire.*

*In eundem modum scriptum est Episcopo apostolicæ sedis Legato & Capitulo Vercellensibus. Felicis recordationis &c. usque sublato, præbendam quam idem habebat in Ecclesia Vercellensi dilecto filio Gregorio nato nobilis viri L. de Montelongo consobrini nostri duximus concedendam, credentes &c. usque provenire. Ideoque universitati vestræ per apostolica scripta mandamus atque præcipimus quatenus dictum G. de cetero vestrum canonicum habeatis, & tu frater Episcope, fructus ejusdem præbendæ ad opus ipsius colligi facias & servari. Tu denique, frater Episcope, super te ipso &c. Datum Laterani xv. Kal. Iulij, pontificatus nostri anno decimosexto.*

ABBATI ET CONVENTUI  
Nonantulanis.

**E**XHIBITA nobis ex parte vestra quædam felicitis memoriæ Adriani, Iohannis, atque Marini prædecessorum nostrorum authentica scripta diligenter inspeximus, & per dilectum filium Henricum sanctæ Romanæ Ecclesiæ scriniarium iussimus fideliter exemplari; qui ea quæ de ipsis scriptis papyriis ex quadam parte præ nimia vetustate consumptis colligere potuit, in publicam formam redigere procuravit: quibus nos apostolici favoris præsidium impendentes,

Epist. 60.  
Ejusdem argu-  
menti cum e-  
pistola 54.

Epist. 61.  
De confirma-  
tione privile-  
giorum.